



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 2. Lepram Iudæorum olim multas ob caussas fuisse monstrosam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

præcepi eis, & imple sollicitè. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Maria. Vbi obseruant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei prouidentia fuisse Iudæis immissam, maximè autem ad grauiora eorum peccata punienda. 1. Marmoris & rebellionis, vt Mariæ sorori Moysis contigit. 2. ob simoniam, vt Giezi euenit, pro sanitate diuinitus Naaman data, munera accipienti. 3. ob homicidium, ob quod Dauid Ioabo Abner occidenti lepræ est imprecatus. 4. ob sacrilegium, ob quod Ozias rex sacerdotium vsurpans atque incensum adolere, & vt dici solet, *in patellam dare* volens, à Deo lepra tactus est. Quemadmodum ergo seruos vanales Romani cretâ, ita diuina Nemesis impios Iudæos lepræ notauit. *Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix, ex formosa herouide in luridam & monstruosam laruam commutata.*

Num. 12.

10.

4. Reg. 5.

27.

2. Reg. 3.

29.

4. Reg. 15.

5.

Num. 32.

19.

§. II.

Lepram Iudæorum olim, multas ob causas, fuisse monstruosam.

Vitium autem istud lepræ monstruosum fuisse, varia ostendunt. Nam 1. cuiuscumodi le-

Si lepra in pœnam à Deo inflictâ, non inflicta est modo naturali, sed diuinitus, repente, verbo vno, vna imprecatione, cum lepra alia, vel contagio, vel corrupto paulatim sanguine, alioue humore exuperante acquiratur. 2. Etsi lepra illa Iudæorum similis fuerit veteri lepræ Græcorum, non tamen ex simili causa nata est. De Græcorum lepra ait Hippocrates: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt; sunt autem turpitudine magis, quam morbi.* Hæc autem turpitudine, licet aspectu similis sit lepræ Græcorum, non tamen similis est ortu. Illa ex pituita, hæc ex Dei pœna, illa naturaliter, ista diuinitus vnde vnde pullulauit. 3. Etsi tam Iudæorum quàm Græcorum lepra, vt docet Franciscus Valeſius, varia vitia & turpitudines externi corporis comprehendat, quorum vnum nascitur ex alio, idque in naturali lepra ex redundantia pituitæ, vel melancholiæ, per variam alterutrius intensionem, aut remissionem; & Deus quiuerit etiam his humoribus, aëre corrupto, leprosi contactu, tanquam caussis secundis vti ad plectendos Iudæos, non videtur tamen ijs vsus; quia hæc omnia vim

Hippocr.
lib. de Affectionibus

Franc.
Valeſius
lib. de
sacr. Phil.
loſ. c. 19.

propriam & adæquatā in vestibis & muris gignendi lepram non habuerunt, nisi Deo singulariter concurrente & inoperante. Quis etiam melancholiæ aut pituitæ ascribat lepram manus in Moyse, tam citò natam & rursus denatam? ad quem

Exod. 4. 6. dixit Dominus: *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.*

Quæ tam subitò erumpens, ac rursus euanescebat lepra, instar monstri ac prodigij, Moyse est exhibita, nullâ utique in corpore eius pituitâ, aut melancholiâ intensâ vel remissâ. Multò minùs in veste, vel muro pituita, aut melancholia aliqua potuit esse lepræ causa. 4. Adde quòd, ex doctrina S. Augustini, vetus Iudæorum

S. Aug.
lib. 2.
Quæst.
Euangel.
q. 40.

lepra sæpe coloris magis fuerit vitium, quàm valetudinis, aut integritatis sensuum atq; membrorum. Qua de causa leprosi à Christo non sanati, sed mundati esse scribuntur, & ipsi quoque leprosi non tam sanari,

Matth. 8.
2.

quàm mundari cupiebant: *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et extendens IESVS ma-*

num tetigit eum dicens: Volo, Mundare. Et
 confestim mandata est lepra eius. Et infra:
 leprosi mundantur. Quin & ad Apostolos
 ait: Infirmos curate, mortuos suscite, lepro-
 sos mundate, &c. Quoniam ergo nostra le-
 pra carnes & ossa depascitur, Iudæorum
 autem ferè tantùm in cute fuerat, sunt qui
 existiment, vel hinc sufficientem sumi dif-
 ferentiam posse. Quanquam ego hoc non
 ita firmum censeam: etsi enim id potuerit
 subinde esse discrimen, tamen de Maria
 Moylis sorore ita loquitur Aaron: ecce iam
 medium carnis eius deuoratum est à lepra. Ser-
 pebat ergo lepra illa & carnem corripie-
 bat, immò deuorabat. 5. Igitur firmius est
 indicium illud, quòd lepra nostra sit ferè
 incurabilis, lepra autem Iudæorum sæpe
 fuerit curata; sicut frequenter vnus idem-
 que morbus in alio climate alius est, aliaq;
 habet symptomata. Curari autem potuisse
 lepram Iudæorum, constat è diuino codi-
 ce. 6. Illud profectò liquidum est, nostrâ
 à leprâ neque vestes, neq; domos corripì,
 vt fiebat à lepra Iudæorum. Quæritur sa-
 nè, quo modo lepra illa potuerit muro
 aut vestibus accidere? Ad quam quæstio-
 nem respondet Valesius, cum lepra sit

Matth. 11.
5.

Matth. 10.
8.

Num. 12.

12.

Leuit. c.

13. & c. 14.

morbis non minùs quàm pestis contagio-
 sus, sicut pestis semina solent adhærere ve-
 stibus, cubiculis, domibus, poculis, lanci-
 bus (per hæc enim omnia accidit fieri in-
 fectionem) ita pariter etiam lepram posse
 vesti aut muro adhærere, esseque posse do-
 mum aut vestem æquè leprosam ac pesti-
 lentem. Sed verosimiliùs Theodoretus ait,
 domos aut vestes olim non dictas fuisse,
 tantùm idcirco leprosas, quòd vapores
 noxios & contagiosos haberent, & homi-
 nes inficerent; sed quòd ipsæ infectæ, non
 secus ac homines eroderentur. Constat
 enim, Deum olim, dum peccarent Iudæi,
 lepram hanc infligere solitum vestibus, aut
 domibus eorum, vt per eam possessores ad
 sanitatem mentis reuocaret. Quia igitur
 lepra hæc non tam naturalis fuit, quàm
 plaga à Deo immissa, videtur fuisse quali-
 tas quædam corrosiua (qualis est in sale,
 nitro, vitriolo, quæ vestes & stannum, &
 ferrum exedunt) vel corruptiua solis Iu-
 dæis propria, alijs Gentibus ferè incogni-
 ta. Vbi enim, aut quæ nunc vestes, qui
 parietes lepræ non faciendæ, sed etiam
 patiendæ sunt capaces? Capaces fuerunt
 vestes & parietes Iudæorum. Vnde mon-

Theodor.
 q. 17. in
 Leuit.
 cap. 13.

strofa

strosa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra propriè non se diffundit à leproso in vestes, vel domum eius, oporteret enim omnes leproforum vestes arrodi, & putrefieri. Est autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentè, dum ex ea vapores pestilentes contrahit; haud tamen vlla pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, vt illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantùm vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, vt olim, sed tantùm causaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde cariè in lignis, calce & lapidibus reperimus; non tamen ea est talis lepra, quæ novos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, vt olim lepra Iudaica. Vnde *Leuit. 14.* iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inuenirentur, jubebatur demoliri; adeò etiam muri tunc ipse leproso, vt ita dicam, ægrotauerunt.

§. III.

Murmuratio sororis Moysis qualis fuerit, vt lepram mereretur?

V 4

Quid